

CX.

# MEMORIA MÄTTIGIANA

Ya  
932

*quinque & gratis mense Mättigianæ Alumnis:*

JOHANNÉ GEORGIO FRENCELIO, Postvizi,  
MAGNO BENJAMIN CRUGERO, Ziebellâ,  
JOH. DANIEL Rohrberg/ Lubbenâ,  
JOHANNÉ FRIDERICO OTTONE, Elystrâ,  
MARTINO Lorenz/ Kofelâ:

} Luf.

renovata,

*Per orationes Latinas,*

Die 9. April. horis consuetis memoriter habendas,

Hicce ut

Tit. Dn. Patroni, Fautores, & Amici,

Imò omnes, quibus unquam grata,  
& proficua fuit Mättigiana Beneficentia,  
benevolas aures per sesquihoram  
commodent,

*Præsenti Programme,*  
*quod Incendium Curia,*

d. 20. Jan. in cineres redactæ,  
lugubri metro describit,  
*iterum, iterumq; petit,*

M. JOHANNES Rosenberg/  
Schol. Budiss. Evang. Rect.

BIBLIOTHECA  
PUNERAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

*Hieronymus Tom. 1. Epist. 3. p. m. 16.*

*Nepotianus* lectione assiduâ, & meditatione diuturnâ, pectus  
suum Bibliothecam fecerat Christi.

BUDISSÆ, Typis Richterianis, 1704.

Ya  
93

**A**nua renovanda sunt *Parentalia Mattigi-*  
*ana.* Quanquam autem anno superiori  
 laus *Mattigiana Bibliotheca* de *Bibliothecis*  
 perorantium fuerit argumentum; tamen  
 operæ pretium visum fuit, etiam hoc anno  
 denuo de *Bibliothecis* dicere. Ita forte cramben bis  
 coctam ad movendum fastidium apponere videbimur.  
 Sed annon unas idemque liber bis, ter, & pluries re-  
 legitur? Sic scripta *Ciceroniana de officiis*, de *Amicitia*,  
 & de *Senectute*; item *Senecæ præcepta, acuta & moralia*  
 regustata, palato fient gratiora. Idque multo magis  
 etiam dicendum de *sacris Literis* quæ centies lectæ,  
 centies novo succo & sapore se commendabunt. Ali-  
 ter sentiendum est de iis, quorum appetitus est cor-  
 ruptissimus, ita ut *cretam, picem, sebum*, atque his sor-  
 didiora, nectare & ambrosiâ dulciora putent. Hujus  
 furfuris fuit *Petrus Bembus* Cardinalis, vir in profa-  
 nâ literaturâ versatior quàm in sacrâ, qui dixit: *Sem-*  
*el Biblia legi, iterum mihi si legenda essent, perderem*  
*omnem Latinitatem.* Impium dictum hominis sacri  
 ordinis, & quidem summi. Sed magis impium *Poli-*  
*tiani, Canonici Florentini.* Is interrogatus, an legeret  
*Biblia?* respondit: *Semel perlegi librum istum, & nun-*  
*quam collocavi pejus ullum tempus.* O criticos corru-  
 pti judicii! Nos cum *Poëta Christiano* dicimus:  
*Biblia lecta placent, decies repetita placebunt:* Sed  
 à diverticulo ad viam. *Bibliotheca est thesaurus* com-  
 munitatis, quò multi ita frui possunt, ut de summâ ejus  
 nihil decedat. Hic *thesaurus* difficulter comparatur,  
 & amissus difficiliùs reparatur. Ut de aliis taceam,  
 quid *Augustanâ*, quid *Ulmensi Bibliothecâ* extitit illu-  
 strius & pretiosius? *Theauri* publici fuerunt, quo-  
 rum usus omnibus liberaliter patuit. Sed nunc in  
 Raptorum sunt manibus, nunquam forte recuperan-  
 di

*Sphinx*  
*Theolog.*  
*Philos. de*  
*S. Scri-*  
*ptur. p. 13.*  
 & 15.

di. Quod *Curtius*, historicus nobilissimus de *thesauris Persicis* scribit: *Multi Reges tantas opes longâ etate cumula- verant Liberis, posterisq; ut arbitrabantur. quas una hora in externi Regis Alexandri manus intulit.* lib. V. cap. 6.  
Idem dici potest de his *Bibliothecis*, & quæ simili fato sunt obnoxia: *Multi Consules tantas Bibliothecas longâ etate cumula- verant, quas una hora in externas manus intulit.* DEUS, exuberans Misericordiâ, miserarum misereatur urbium, easq; à luctu & squalore in lætorem statum, à servitute in pristinam Libertatem vindicet. Publicus urbis nostræ *thesaurus*, nempe *Bibliotheca Mültigiana*, non immunis solùm hætenus per DEi gratiam ab hostili manu fuit, sed in inopinato etiam incendio, quo *Curia*, eximium urbis ornamentum die 20. Januarii conflagravit, incolumis per S. Angelorum custodiam, unâ cum reliquis circumfusis ædificiis conservata fuit. Nostrum igitur est nostro *Servatori* tantò majora *Soteria* persolvere, quantò propinquius fuit periculum igneum. Eum in finem argumentum de *Bibliothecis* repetendum esse duxi, sed ita ut multa alia, auditu haut in, jucunda subjungantur. Meretur etiam argumenti repetitionem hõc annò *Bibliotheca* nostra, curâ doctissimi Dn. *Behrnaueri*, *Bibliothecarii*, admodum aucta. Curiosæ quædam de *Bibliothecis*, inprimis quasdam *argutas Inscriptiones* attere constituieram; sed calamum atq; animum abstraxit miseranda *Curia* facies, atq; *initium, medium & finem incendii, lugubri carmine*, memoriæ causâ, jussit describere. Quod ut æquiboniq; consulatur, & si quid displicet, ( displicebunt autem multa ) exarescenti & (e-nili venæ adscribatur, etiam atq; etiam oro.  
*Vos posco lacrymas, lacrymarum erumpite fontes,*  
*Defendum est funus, verè lacrymabile funus:*  
*Curia nostra ruit, subitoq; absumitur igne.*  
*Heu! gravis est luctus, Concurrite, currite Cives; Im.*

*Immo omnes, quotquot nostri miseratio tangit,  
Appropriate Rogo, nostris adjungite vestras  
Ex animo lacrymas, & acerbum plangite funus.  
Et quis spectando tam lamentabile bustum,  
Quamvis immitis Scythico de nomine miles,  
Temperet à lacrymis, vel non suspiria ducat?  
Absentem etiam turbatâ mente stupebunt;  
Cum tristem referet casum vaga fama per urbes,  
Quem nunc depinget tenui mea Carmine Musa.  
Ecce dies aderat, Domini de nomine nomen  
Deducens, sacram nobis latura quietem.  
Ast o! turbatam terrore, labore quietem.  
Maxima nocturnæ cælo pars cesserat umbra,  
Et gallus cantu lucis prædixerat ortum.  
Sed pleriq; tamen, somni dulcedine capti  
Mollibus in lectis securâ mente jacebant.  
Occultum subito cum Curia concipit ignem,  
Occultum dico ( quia nondum est cognita causa )  
Atque brevi tantas acquirat tempore vires,  
Ut nemo possit rapidis obsistere flammis.  
Namq; illæ erumpunt spumantis fluminis instar,  
Et se per patulas jactant impune fenestras.  
Interea totus resonat clamoribus æther:  
Surgite, ah! Ignis adest! o! surgite, surgite cives!  
Ignis ah! Ignis. Ubi nam? Curia, gemma Budissæ,  
Curia conflagrat; properate & scandite tecta,  
Ferte ferenda citò, furibundæ occurrite flammæ.  
Mox & junguntur clamori tympana rauca,  
Et ferale sonant altis de turribus æra,  
Hinc mox turba frequens ex totâ confluit urbe,  
Ut ferat auxilium, vel cum discrimine prompta;  
Agrestes etiam, conspectis ignibus, adsunt.  
Sed quid proficiunt? frustra pugnatur in hostem,  
Qui tenet objectas, effracto cardine, portas.  
Irritus hortantùm est clamor, labor irritus omnis:*

Accessum prohibet valida sevitia flamma;  
Jamq; etiam turrim diffusus corripit ignis.  
Par campanarum violento solvitur astu,  
Perfundens liquido candentia saxa metallo,  
Voxq; ol' mutescit, quæ temporis indicat horas.  
Adsunt & Patriæ, percussi pectora, Patres,  
Consiliumq; ineunt, quânam ratione pericla  
Majora averti possent, & Curia sola  
Tristes divini sentiret Numinis iras  
Augebat curas imprimis edita turris,  
Ne ruitura suo circum prope stantia tecta  
Concuteret casu. flammâq; inferret iisdem.  
Sed mox præstò fuit miserantis Gratia Cæli:  
Nam moritura caput, pulchro spectabile cultu,  
Inclinans sensim medios demisit in ignes.  
Sic ruit excelsum decus urbis, & æmula Turris,  
Turris Petrinæ, quæ nubes vertice tangit.  
Sicq; fori clarum claudit sua lumina lumen,  
Et simul horarum subsistit publicus Index.  
O tristem casum, & visu miserabile funus!  
Vix aliquis tantam potuit spectare ruinam  
Siccis tunc oculis? Homines humana revolvant.  
Cæcus homo ignorat, quidnam sibi vespera sera  
Sit vectura, & quid venturi Mane diei.  
Sed prolapsa novas vires, alimenta q; turris  
Suggerit flammæ: Sic auctum flumine flumen  
Crescit, & oppositas dirumpit gurgite moles;  
Fertur in arva furens, nec vim vis reprimat ulla.  
Ignibus in mediis numero conclavia bina  
Restabant, illesa diu, cessuraq; tandem  
Victori. subito nisi maturata fuissent  
Subsidia. hinc circum, supraq; infraq; furente  
Flammâ: consuetus Patrum confessus in illâ  
Parte fuit; cum Consiliis res urbis egerent,  
Vel quando juxta Legum præcepta vacandum

Ju-

Justitiæ sine qua vis atq; injuria regnant.  
Fit via vi, ferro franguntur ferrea claustra,  
Et nova, quâ nulla est, aperitur janua parte,  
Intraturq; simul, quamvis non absq; periclo.  
Vincit Amor Patriæ, quæ vitâ carior ipsâ.  
Congeritur, quicquid natum est obsistere flammis:  
Hocque modo remanent, multâ curâ atque labore,  
Incolumes Patrum sedes, justumque tribunal;  
Ut qui vis videat, curæ cordique fuisse  
Has sedes illi, qui metas ponit & undis,  
Et rabidis flammis, graviterque ruentibus Austris.  
Ast aniris nondum terror decesserat omnis.  
Er quis non metuit, flammâs dum dissipat, ignem?  
Quid levius vento, quidque est incertius aurâ?  
Nunc levam versus, nunc dextram vertitur, uno  
Momento, ignitos & secum devehit imbres.  
Conciderat turris; verùm octo, saxea moles,  
Exurgens pinnis, multâ formidine cunctos  
Complebat, ne prorueret, magnâque ruinâ  
Vicinas, ceu petra cadens, prosterneret edes.  
Sed spes humanis aberat confixa lacertis,  
Consi'oque valens ratio ratione carebat.  
Sunt homines homines. Deus est qui scitq; potestq;  
Omnia, nec precibus miserorum denegat aures.  
Ad templum, ad templum curramus corde dolenti,  
Hic, hic auxilium votis precibusque paratur;  
Hic, hic consilium, quod quisvis quærit habebit:  
Hic sancti degunt Aarones, thura terentes,  
Thura precum, summi queis flectitur ira Parentis.  
Nec mora, vicinum templum petit anxia turba,  
Devoti præeunt Verbi, Pietate, Ministri;  
Exemploq; suo populi præsentia corda  
Inflammant; ardens velut ignes exeat ignis.  
Pulsantur precibus, pulsantur sidera cantu.  
Oraturq; DEum, justâ quò cesset ab irâ,

Pro-

*Propitiumq; animum cælo demonstrat ab alto:  
Adduntur lacrymæ, manantes fluminis instar.  
O miranda precum virtus! Quem vincere nemo,  
Nemo potest, lacrymis armata Oratio vincit,  
Extorquetq; DEi manibus minitantiæ tela.  
Audiit ille preces, lacrymas viditq; gementum,  
Nec porro flammis laxari passus habenas:  
Et quanquam rueret, non absq; fragore, timore,  
Pars frontispicii divulsa à pondere muri,  
Non tamen oppressit quemquam; sed more cadentis  
Turris, subjectos se precipitavit in ignes.  
Atq; ita plus valere preces, quàm brachia mille,  
Quæ scalas & aquas multo clamore ministrant.  
Debetur precibus, quod flammis proxima recta,  
Et ferè contigua hæc fuerint absorta, simulq;  
Illa domus, cujus fidei concreditus ingens  
Thesaurus fuerat, doctos intelligo libros,  
Præsidio Angelico, sit tota illesa relicta.  
Quando Tuam, metuende Deus, perpendimus iram,  
Iram, quæ flammæ, veluti Vesuvius ardens,  
Exspirat, toti tremimus; calor ossa relinquit.  
Verum quando subit rursus tua Gratia mentem,  
Clamandum est nobis, si dicere vera velimus:  
O Deus! ô miseris miserans, Pater optime, Natos,  
Permagna ira Tua est; Tua sed Clementia major.  
Tu certo justum definis limite Zelum  
Exurgit ferò; citò sed Tua definit ira.  
Corrigis, & veluti Genitor sua pignora, leni  
Castigas ferulâ: nunquam flagrantis Amoris  
Immemor, inq; maris mergis peccata profundam;  
Pro tantis meritis grates Tibi solvimus omnes,  
Quantas complecti lingvâq; animòq; valemus.  
Tu virtute Tuâ cursum moderatus es Ignis,  
Ne se pro lubitu diffundere possêt in urbe:  
Nec concessisti, fierent ut præda voracis  
Flammæ, scripta, auro nullo reparanda vicissim,  
Quæ sunt Palladium Patriæ, fulcrumq; Salutis.  
O Patriam Patriæ curam, patriumq; favorem!  
Ingens turba hominum ex totâ constuxerat urbe,  
Et se vicinis certatim effuderat agris:  
Astabant etiam pueri, inuuptaq; puellæ,*

*Et*

40  
932  
6X  
VD18

*Et sequior sexus: sed nemo vulnere saxi,  
Vel quoq; labentium lignorum pondere latus.  
Incolumes omnes flammis rediere repressis.  
Ergo Tibi grates grato de pectore rursus  
O ter amande Pater ferimus. Tua dextera vulnus  
Intulit; illarum sanet Tua dextera vulnus.  
Erige caelesti mæstos solamine Patres;  
Suggere consilium & vires, oleâq; virenti  
Mœnia circunda Patriæ. Mars ferreus absit;  
Absint, quæ passim vastant incendia terras.  
Tu vero quisquis lugubria rudera cernis,  
Dic quaeso mecum, dic pauca precantia verba:  
Curia, quæ nunc strata jacet, rediviva resurgat,  
Ceu Phœnix alter, de busto pulchrior ortus:  
Tunc læti repetant subsellia pristina Patres,  
Consuetisq; vacet resplendens Curia curis.  
Proclament horas campanæ nocte dieque  
Inque orbem redeat præscriptum horarius Index,  
Hoc voveo, hoc lætæ desidero cernere mente.  
Quid superest? Unum: calidis, Deus, annue votis.*

Sed sileat Musa funebris, loquantur beneficiis Mætrigianis haut indigni Alumni, qui nec Obedientiam, nec diligentiam, hæctenus in se desiderari passi sunt.

In his agmen ducit *Joh. Georg. Frencelius*, qui *Bibliothecas antiquas in memoriam revocabit*. Parens ejus est *Tit. Dn. Michael Frencelius, Pastor Postvicensis, de Ecclesiâ & lingua Sorabica meritissimus*: In felicitum Patrum censum transcribendus est, quippe qui jam quartum hunc Filium Ecclesiæ Christi consecrat. In his major natu *Abraham Frencelius, Pastor Schönov.* jamdudum, scriptis doctissimis, orbi literario innotuit.

Alter *Magnus Benjamin Crugerus. Tit. Dn. Matthiæ Crugeri, Pastoris Ziebellenensis, optimè meriti Filius*, Bibliothecas Europeas perlustrabit.


Tertius *Joh. Daniel Rohrberg*, Patrem habet *Tit. Dn. Matthæum Rohrberg*, virum docti simum, & serenissimi Ducis Saxon. Martisburgens. Secretarium Feudalium, fata Bibliothecarum & inprimis direptionem enarrabit.

Quartus *Joh. Frider. Otto*, natus Patre *Joh. Ottone*, Rectore Elltrensi, viro informandis pueris maximè idoneo, incendia & inundationes Bibliothecarum pestes esse pronuntiabit.

Quintus est *Martinus Lorentz, viri honesti*, sed nunc piè defuncti, *Martini Lorentz*, ex pago *Kosel Filius*, qui erga Deum ob servatam in nupero Incendio Bibliothecam Budissinam; & erga Patronos presentes, Carmine Germanico subjuncto, se gratum declarabit.

Faxit DEUS, ut hi quinq; discipuli studiorum scholasticorum telam feliciter pertexant, Parentibusq; multum gaudii, & sibi ipsi plus commodi cum tempore pariant.





Y<sup>a</sup>  
932

CX.  
MORIA  
TIGIANA

mensa Mättrigianæ Alumnis:  
RENCELIO, Postvizi,  
RUGERO, Ziebellá,  
/ Lubbená, } Luf.  
OTTONE, Elystrá,  
elá:

renovata,  
*tionēs Latinas,*  
onſvetis memoriter habendas,  
Hiſce ut

i, *Fautores, & Amici,*  
nibus unquam grata,  
Mättrigiana Beneficentia,  
res per ſeſquihoram  
commodent,

*Programmate.*  
*Incendium Curia,*  
in cineres redactæ,  
metro describit,  
*n, iterumq, petit,*

JNES Roſenberg/  
diff. Evang. Rect.

m. 1. *Epist. 3. p m. 16.*  
, & meditatione diuturnâ, pectus  
at Chriſti.

*ypis Richterianis, 1704.*

